ejus puræ omiſſionis, ſi ſit libera; vel ſi iſti debita non eſt, neque debita erit illi, quia per utrumque exercetur humana libertas.

Dari actus indifferentes in individuo ſaltem per accidens.

324 Poſtremò; probatur ſaltem per accidens dari poſſe actus in individuo indifferentes, caſu, ſcilicet, quod quis ſequens noſtram opinionem, quæ eſt valdè probabilis, actus exerceret ex objecto indifferentes ſine appoſitione ulterioris finis honeſti: hic enim in tali caſu nec benè, nec malè operaretur, ſed indifferenter: non quidem malè, quia ſe accomodat opinioni probabili, quæ excuſat à peccato, & qua prudenter judicat talem actum eſſe ſibi licitum: neque benè, quia nullam honeſtatem in tali objecto amat, imò nec agnoſcit, ergo indifferenter. Reſpondet aliqui, ut Ruiz, & Monteſinos, eum, qui hac opinione ductus ità operaretur, non elicere actum indifferentem, ſed malum, excuſari tamen à malitia: Cæterum, ſi ob opinionem probabilem, quam ſequitur, à malitia excuſatur, jam non diceretur operari actum malum formaliter, ſed tantùm materialiter: indifferentem verò formaliter, quia operatur ex opinione ei talem actum proponente, ut indifferentem in genere moris: ergo ſic dicendo admittitur actus in individuo, qui nec bonus eſt, nec peccatum homini illum facienti.

Reſpondent alii, ut Salas, talem actum fore bonum, quia in tali caſu ille nullam videt turpitudinem in objecto, fine, vel circumſtantiis: ergo licitè, ac proindè honeſtè operatur, quia virtualiter, & implicitè tale objectum eſt ei honeſtum, & amatur ab illo quaſi honeſtum, & propter ſe expetibile. Sed licet operans in tali objecto, fine, & circumſtantiis nullam videat turpitudinem, adhuc tamen neque ullam videt honeſtatem, nec conſequenter eam amare poteſt, nec illi voluntaria eſſe poteſt, ut requiritur ad dandam actui honeſtatem; Neque ad hoc ſufficit tale objectum eſſe illi virtualiter honeſtum; primò, quia tale objectum in ſe nullam continet honeſtatem, ſed puram indifferentiam; deindè quando eam contineret, non ſufficienter proponitur voluntati, ſicut requiritur, ut actui communicetur: quamvis enim ad malitiam contrahendam ſufficiat virtualis, & inchoata quædam malitiæ notitia, tamen ad bonitatem contrahendam hæc non ſufficit, ſed omninò requiritur actualis, expreſſa, & directa; ut conſtat ex dictis *n*.194.

325 Reſpondet Serra talem actum in caſu fore bonum: quia eo ipſo, quod quis vult ſequi opinionem probabilem, rectè operatur, licitum enim, & bonum eſt ſequi opinionem probabilem: ſicque licet illud opus quaſi materialiter malum ſit, quia ad finem otioſum ordinatur: formaliter tamen, & ex intentione operantis bonum eſt: nam ex una partem opinio probabilis excuſat illud à peccato, & intentio operantis, qua vult ſequi opinionem probabilem, ordinat illud ad bonum finem hunc, ratione cujus opus ipſum in exercitio bonum eſt & præmio dignum. Sed contrà, quia opinio probabilis talem facit actum, qualis ab ea proponitur, cum cenſeatur illum prudenter proponere: ergo cùm in tali caſu actum illum proponat, ut indifferentem, non verò ut bonum, & honeſtum, actus ex ea elicitus talis erit, nempè indifferens, non verò bonus, vel honeſtus: & falſum eſt intentionem operantis opinionem probabilem ſequentis ordinare talem actum in bonum finem, cùm potius ex vi ipſius putet ſe non teneri ad apponendum bonum finem actioni ex ſua ſpecie indifferenti; undè etiamſi in tali caſu volitio ſequendi opinionem probabilem eſſet actus licitus, & honeſtus, actus tamen ille indifferens elicitus ex ductu opinionis probabilis adhuc talis remaneret in individuo, nec ullam reciperet bonitatem ex volitione ſequendi probabilem opinionem; & id duntaxat ad ſummum convincit replica Serræ ad hanc inſtantiam, cum ait, quod ſicut licitum, & bonum eſt ſequi opinionem probabilem aſſerentem aliquid non eſſe præceptum, vel prohibitum ulla lege, ſed permiſſum; ità licitum eſt, & bonum ſequi opinionem aſſerentem aliquid nec eſſe malum, nec bonum, ſed indifferens; probat, inquam, ad ſummum volitionem, & propoſitum ſequendi opinionem probabilem eſſe licitum, & honeſtum, non tamen concludit ſemper eſſe talem actum ex vi opinionis probabilis elicitum; nam ſi proponit illum, ut indifferentem, non verò ut bonum, vel malum, actus ex ea elicitus erit pariter indifferens, licet volitio, & propoſitum ſequendi opinionem probabilem ſit licitum, & honeſtum.

326 Reſpondet tandem Moriſanus *diſp*.3. *Ethic. dub*.3. in fine, talem operaturum prudenter, & honeſtè, quia operatur conformiter dictamini rationis, quæ judicat illud poſſe fieri, & eſſe licitum propter auctoritatem virorum, noſtram opinionem docentium; neque ut honeſtè operemur opus eſt ſpeculativè habere judicium, quod actus ſit honeſtus, ſi modò practicè judicemus, & ex illo judicio operemur. Verùm jam conſtat ex dictis, quod licet homo ſemper teneatur operari cum ratione; non tamen ſemper propter honeſtatem poſitivè, ſed negativè, hoc eſt, non contrà; quarè in tali caſu operaretur homo conformiter dictamini rationis non poſitivè, ſed negativè, quia dictamen rationis in eo caſu nec præcipit, nec conſulit talem actum, ſed merè permittit; undè in plus ſe habet licitum, quam honeſtum; hoc enim cenſetur illud tantùm, quod eſt conforme dictamini rationis præcipientis, vel conſulentis; licitum verò dicitur, quod à recta ratione nec præcipitur, nec prohibetur, ſed merè permittitur; unde non eo ipſo, quod ratio judicat aliquid fieri poſſe, & eſſe licitum, inferri debet, quod etiam ſit honeſtum; & omninò falſum eſt, ut conſtat ex dictis, ad honeſte operandum nō opus eſſe ſpeculativè habere judicium, quod actus ſit honeſtus; quomodò enim honeſtatem appetere poterit, qui eam in objecto nec cogitat, nec agnoſcit: quod autem agnoſcat talem actum non eſſe contra regulas prudentiæ, infert ſolum actum illum non eſſe malum, non autem poſitivè bonum, nam ſunt quidam actus, qui ſive fiant, ſive non, regula rationis non curat dummodò non apponatur circumſtantia mala, quia de minimis non curat Pretor, quod commune proloquium præſertim in moralibus veritatem habere debet.

ARTICULUS TERTIUS.

Thomiſtarum rationes diluuntur.

327 IN Oppoſitum Primo obiiciunt: homo ex natura ſua eſt rationalis; ergo quando operatur, ut homo, naturali præcepto tenetur operari ſecundum rectam rationem; ergo tenetur operari ſaltem virtualiter ob finem conformem rectæ rationi; ergo ſi actus humanus non habeat hujuſmodi finem, erit malus, & otioſus; ſi autem operetur propter aliquem finem rectæ rationi conformem erit actus bonus in individuo, & per conſequens non erit indifferens. Reſp. ex dictis *n*.317. gratis omninò fingi talem obligationem, non enim adeò rigidè natura hominem obligavit, & cum tanta preſſura, ut quoties operatur, ut homo, nempè diſcurrendo, vel deliberando, ſemper operari debeat ex fine honeſto poſitivè, ſed ſolùm ſub peccato tenetur vitare mala, & nihil facere, quod rectæ rationi ſit contrarium; indifferentia autem nequaquam vitare tenetur, nec eis apponere alium diverſum finem, quàm habeant ex ſe. Dices, non ſolùm teneri hominem nihil facere, quod rectæ rationi ſit contrarium, ſed etiam operari poſitivè conformiter ad rectam rationem, quotieſcumque operatur, ut rationalis, quia hoc poſtulat dignitas, & conditio humanæ naturæ, quam utpotè ad majora natam non decet ad inutilia, & frivola affici, niſi ea ad finem aliquem honeſtum, hominiſque affectu dignum referantur; unde ſicut Princeps non niſi Principe digna cogitabit, multo minus loquetur, aut operabitur; quapropter indignum erat Imperatorem illum capere muſcas, non niſi quia Imperator erat; quantò magis hoc debet homo, qui eſt Princeps orbis hujus inferioris, & ad orbem ſuperiorem conditus? Reſp. id ſuadere tantùm, quod homo, ut plurimum, propter naturæ ſuæ conditionem, & dignitatem non niſi digna, & laudabilia operari debet; cùm tamen aliundè ejus natura fragilis ſit, ac imbecillis, ut ait D.Bon. non eſt contrà ejus conditionem omninò, quod interdum in aliquod opus, ſi non laude, nec etiam vituperio dignum, exeat; Ad illud de Principe, & Imperatore dico, multos actus in homine vulgari eſſe poſſe indifferentes, qui in Principe erunt indigni; ratio eſt, quia indifferentia actus in individuo attenditur etiam penes circumſtantiam perſonæ operantis; non negò tamen Principem etiam quandoque exercere poſſe aliquem actum indifferentem ad levem naturæ recreationem qui proindè actus non omnimoda utilitate carebit; Imo Imperator ille non parvipenditur, quia abſolutè muſcas cæperit, ſed quia cum temporis exceſſu; undè D. Bon. loc. cit. ad 1. refert quoddam D. Bernardi lepidum dictum vel factum cùm enim quendam ceſpitare feciſſet *etiam*, inquit, *fuit factum, ſed non otioſe factum*, fecerat enim hoc ad illum lætificandum, quem viderat mæſtum, qui ſolus finis ſufficiens fuit ad excludendum otioſitatis vitium à tali facto.

328 Sed Urges, rationi diſſonū eſt, ut homo dùm agit deliberatè, & ut rationalis, non operetur propter finē proprium rationalis creaturæ, & non ordinet ſuam operationem ad bonum honeſtum, quod eſt rationi conſonum; ergò eſt malum; bonum verò operari propter debitum finem, quia ordinatio operationis in debitum finē eſt conformis naturali inclinationis hominis, quę eſt participatio legis ęternę. Conf. quia homo, ut operās ex deliberatione diſtinguitur à brutis, & rebus naturalibus: ergo ut ſic operans, habere debet proprium, & peculiarem finem diſtinctum à fine brutorum, ſed hic finis non poteſt alius aſſignari, niſi bonum rationis; ergo homo ex præcepto tenetur dirigere ad hunc finem omnes actus ſuos ex deliberatione procedentes. Reſp. rationi diſſonum eſſe quod homo agat contra finem proprium rationalis creaturæ, atq; ideò teneri, ut nihil unquā velit rationi contrarium, non autem ut ſemper ſtudioſè agat, ſuaſque omnes actiones etiam ex objecto indifferentes in finē honeſtum poſitivè dirigat, ſicut à pari licet homo in finem ſupernaturalem ſit ordinatus, non propterea ſemper propter

illum

illum operari tenetur: ſed ſufficit, ut nunquam aliquid operetur fini ſupernaturali contrarium. Ad Conf. dico hominem, ut in operando diſtinguitur à brutis, debere opera ſua rationis regula metiri, antequam illa exerceat, itant conformiter agat ad regulam rationis vel præcipientem, vel conſulentem, vel ſaltem permittentem; undè ſemel hac ſtatuta menſura, licet illi exercere omnia, quæ poſitivè contraria tali regulæ non invenerit, qualia ſunt, quæ ſunt tantùm à ratione permiſſa. Dices, hæc etiam exercere teneri modo à rationis regula præſcripto, nempè ut fiant ſine aliquo exceſſu, vel temporis diſpendio alioquin opera otioſa evaderent; ergo licet ſint opera ex ſuo objecto indifferentia, tamen tali modo exercita erunt bona, & honeſta, quia ſunt juxtà regulam rationis talem modum præcipientis, vel conſulentis, licet non ipſam operis ſubſtantiam.

Reſpondeo, talem modum à ratione præſcriptum in exercitio actuum ex objecto indifferentium efficere tantùm, ut opera hujuſmodi non dicantur mala, & inhoneſta, ſed remaneant in ſua indifferentia; non tamen ſufficere, ut dicantur honeſta, quia non aſſumuntur ex affectu honeſti, ſed tantùm commodi, & delectabilis: quæ quidem commoditas, vel delectatio ex tali opere ſumpta; quia nec neceſſaria eſt, nec notabiliter utilis ad vitam tuendam, vel valitudinem conſervandam, ſed tantùm ad quodam exile naturæ levamen, non cadit ſub præcepto, nec ſub conſilio: ſed tantùm permittitur à ratione quodam modo indulgente, ut inquit S. Bon. fragilitati, ac imbecilitati humanæ naturæ: quamvis enim hæc ſit rationis particeps, & in hoc bruta excedat adhuc tamen cum eis etiam in animalitate communicat; undè quandoque indulget, ut in quibuſdam actibus animali neceſſitati inſerviat; ne tamen in ejs exercendis modum excedat, regulam præſcribit, quæ tamen non ſufficit ad ea opera honeſtanda, quia adhuc cum tali modo elicita non ſunt per ſe digna affectu naturæ rationalis: ſed tantùm efficit, ne opera illa dicantur mala, & dictamini rationis poſitivè contraria.

Secunda ratio ex actus otioſitate.

329 Secundò obiiciunt; non ſolùm tenetur homo nihil facere, quod rectæ rationi ſit contrarium; ſed etiam poſitivè operari conformiter ad illam; alioquin eo ipſo ejus actio efficitur otioſa; omnis autem actus otioſus eſt poſitivè rationi contrarius, ſicut & verbum otioſum, de quo reddituri ſumus rationem in die judicii, ut dicitur Math.12. ergo &c. major probatur, quia illud verbum, vel opus cenſetur otioſum, quod nihil confert ad finem ultimum, ad quem homo creatus eſt, dicit enim Gregorius hom.6. in Evang. verbum otioſum eſt, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis caret, & Baſſol. *qu*.9. compendio explicatis *qu*.23. omne verbum, quod non conducit ad propoſitam in Domino utilitatem vanum, & otioſum eſt; & Hieron. in *c*.12. Math. verbum otioſum eſt, quod ſine utilitate loquentis, & audientis dicitur, & tandem Bernard. Verbum otioſum eſt, quod caret debito fine honeſto; ſed actus carens honeſto fine nihil confert ad finem ultimum; nam ſi caret honeſto fine, jam ex natura ſua non ordinatur ad finem ultimum, omnes enim proximi fines, qui ad ultimum finem referuntur, in eadem linea eſſe debent, hoc eſt, omnes debent eſſe honeſti; ergo illi actus, qui ſunt extrà genus honeſtatis non ſunt illi ex natura ſua ordinati; ergo omnis talis actus eſt otioſus eò ipſo, quod non refertur in bonum finem. Conf. quia eo ipſo, quod opus, vel verbum non refertur in finem honeſtum, pertinet ad vitium cujuſdam prodigalitatis, qua homo parvi facit tempus pretioſum ſibi ad merendum conceſſum terendo illud in frivolis, & inutilibus, quæ ratio colligitur ex D. Bernardo *lib*. de triplici cuſtodia, undè dicitur Eccleſ. 14. particula bonæ diei non te prætereat.

330 Reſp. negando majorem; ad cujus probationem dico; opus illud, vel verbum propriè cenſeri otioſum, quod omni prorſus utilitate vacat; undè ſi ad aliquod deſerviat naturæ levamen, etiamſi modicum, propriè otioſum dici nequit, vel ſaltem non otioſè factum, vel dictum, ut conſtat ex dicto D. Bernardi adducto *n*.327. ex quo etiam patet minimè oportere, quod hæc utilitas poſitivè ſemper conferat ad ultimum finem, ad quem creatus eſt homo; undè ſi in hoc ſenſu probatio illius majoris intelligatur, abſolutè neganda eſt; quis enim dicat me condemnandum in die judicii de verbo, quo aliquem monui, ut pulverem de veſte excutiat, & redditurum rationem de opere, quo de ejus veſte culicem tuli? ſatis ergo eſt, quod omnes hominis actiones aliquo modo in finem ultimum ordinentur, ſcilicet, proximè, vel remotè, immediatè, vel mediatè, poſitivè, vel negativè, neque Deus in hoc ſtatu diſtractionis, & miſeriæ, ait D.Bon. hominem ſic rigidè obligavit, ut omnia, quæ facit, poſitivè, & proximè ad ſe referat, ut ad ultimum finem: ſed ſufficit interdum, quod ſi aliqua ejus actio non eſt in ultimum finem poſitivè ordinata, ſaltem non ſit ab eo deordinata, & recedens; quod eſt eſſe ordinatam negativè, ut contingit de actionibus indifferentibus: quæ ſi non ſunt poſitivè in ultimum finem ordinatæ, hoc non eſt ob inordinatam converſionem ad creaturam, ut contingit de peccato commiſſionis: neque ob operantis negligentiam, ut eſt de peccatis omiſſionis: ſed propter operantis infirmitatem, & miſeriam, ut ait D. Bon. cit. illa ergo erunt verba, aut opera otioſa, ut à pernicioſis diſtinguntur quæ nec neceſſitatem, nec utilitatem habent, ſecundum quam licitè dicantur, vel fiant, undè illud propriè dicitur verbum otioſum, ut explicat Sanctus Doctor, quod poſſet, ac deberet afferre ædificationem, vel aliquod bonum ſaltem naturale, & non affert, ut ſi vanè, & frivolè loqueretis, quando diſcere, vel docere, vel ſtudere teneris: quæ autem ſit utilitas licita, quæ opus excuſat ab otioſitate; pendet ex qualitate materiæ, & aliis circumſtantiis: poſſet enim aliquis ſemel, vel iterum barbam ſine vitio ſcalpere: manus fricare; propter aliquam recreationem, vel levem commoditatem: qui tamen ſi per totum diem, vel horam barbam, vel manus fricaret, vitium non fugeret: & idem dicendum de capiente muſcas, quia nimirum nulla foret utilitas, quæ harum occupationum diſpendium rationabiliter compenſaret.

331 Juxtà quam doctrinam facilè explicantur SS. Patres citati, præſertim Greg. & Hieron. ſi namque opus, vel verbum deſerviat ad utilitatem, & commoditatem aliquam temporalem, qua naturæ imbecilitati aliquo modo ſuccurratur, juſtam neceſſitatem, vel utilitatem habebit, quam Patres illi poſtulant, ne dicantur otioſa, etiamſi poſitivè ad ultimum finem non conferant: Baſilius verò rigoroſius nonnihil de verbis otioſis diſcurrit, quia loquitur ad Monacos, qui cùm ſit arctioris vitæ & tendere maximè debeant ad perfectionem, omnia eorum verba, & opera videntur eſſe otioſa, cùm non ordinantur ad utilitatem proximi etiam in ordine ad vitam æternam; qua propter locus iſte non eſt ſimpliciter, & univerſaliter intelligendus. Bernardus denique vel ſumit finem honeſtum pro licito, vel loquitur de fine honeſto etiam poſitivè, ſed debito, hoc autem debitum non ſemper habet homo; & planè ex Patribus locum illum Matth. exponentibus nihil certi ad rem noſtram haberi poteſt, variè enim illum exponuntur; unde Chriſ. ibi per verba otioſa intelligit verba mendacia, & calumnioſa, cui favet textus, quia Chriſtus ibi Phariſeos reprehendit eum calumnis, ut mendaciis afficientes; undè Arriaga clarè oſtendit contextum illius loci minimè ſenſum pati, quem dicunt Adverſarii; Ad Conf. negatur aſſumptum; nam ſequeretur hominem non ſolùm peccare, quandò agit inutilia, ſed etiam quandò nihil agit, non enim eſt minor temporis jactura, ſi nihil agat, quam ſi otioſè loquatur; Tùm quia aliqua ſunt opera indifferentia, quæ ſine ulla temporis jactura fieri poſſunt, nam qui ſtudet, poteſt ſimul deambulare, quæ ambulatio ſi in bonum finem non referatur eſt actio indifferens, nec fit cum temporis jactura; tùm tandem quia etiam ipſa temporis jactura non eſt mala, ſi aliquando ſine exceſſu vacetur prædictis operibus cum aliquali utilitate naturali: hæc enim ſufficit ad excludendam ab eis otioſitatem; quarè cùm ex alia parte actus illi non ſint moraliter boni, quia illa naturæ commoditas, ob quam fiunt, eſt ſola phyſica bonitas, non moralis; ſequitur eſſe indifferentes.

332 Sed inſtat Serra; quando iſti actus ob naturæ commoditatem eliciti ſunt neceſſarii ad vitam conſervandam ſunt utiles, adhuc erunt boni, ſi enim ordinatio medii neceſſarii ad aliquem finem reddit bonam actionem, ordinatio medii utilis ad eundem finem, bonam etiam efficiet, ſicut ſi bonum eſt alere parentes egenos, bonum eſt etiam alere eos non egenos. Confirmatur, quia omnes hujuſmodi actus ſivè ſint neceſſarii, ſivè tantum utiles in naturæ ſubſidium ſunt conformes rationali naturæ, & à recta ratione, & prudentia dictantur, ergo ſunt boni, probatur antecedens, nam homini etiam ut rationis eſt particeps, conforme eſt ſenſitivæ, & vegetativæ parti conſulere, & prudentia dictat his naturæ indigentiis occurrere, proceduntque iſti actus à naturali in nos ipſos dilectione, quæ honeſta eſt, & bona moraliter. Reſpondeo, ſatis ex dictis conſtare, nos hic appellare actus in individuo indifferentes, qui fiunt ad ſublevandam aliquo modo naturam ex aliqua commoditate, quæ non excedat modum, nec neceſſaria ſit, aut notabiliter utilis ad vitam tuendam, vel valetudinem ſervandam, ut ſunt muſcam capere, culicem è facie tollere, cantiunculam canere ad tedium removendum, & ſimilia, quæ nec neceſſaria ſunt, nec notabiliter utilia ad naturæ levamen, & valetudinem ſervandam, actus autem ad hunc finem neceſſarios, vel notabiliter utiles gratis concedo eſſe moraliter bonos, idq; ſolùm inſtantia convincit, non autem de aliis, quorum utilitas, vel delectatio adeò exigua eſt, & parvi momenti, ut per ſe digna non ſit affectu naturæ rationalis. Ad Confirmationem, conceditur aſſumptum de actibus aeceſſariis, & notabiliter utilibus ad naturæ ſubſidium, negatur de aliis jam enumeratis, iſti namque à recta ratione, vel prudentia non dictantur, ſed merè permittuntur, & ad probationem aſſumpti eadem diſtinctio eſt adhibenda.

Tertia ratio ex fine actionis humanæ.

333 Tertiò arguunt aliis; omnis actio humana debet eſſe propter aliquem finem, & ſi enim aliqua ſit circa media, tamen quia media non amantur propter ſe, ſed propter finem, ideò ab illo ſpecificatur talis actio; ſed finis actionis humanæ ſolùm poteſt eſſe bonum honeſtum, vel bonum delectabile; hæc enim bona ſunt illa, quæ poſſunt amari propter ſe, ſeù finalizare; ergò omnis actio humana debet eſſe vel propter bonum honeſtum, vel propter bonum delectabile; tùnc ſic, ſed actio, quæ eſt propter bonum honeſtum eſt bona; & quæ eſt propter bonum delectabile eſt mala quia bonum, delectabile, ut ſic, eſt proprius finis belluarum, aut communis illis, & hominibus, quatenus animalia ſunt; nec eſt conformis rationi; ſed potius diſſonus; ergò omnis actio humana debet eſſe bona, vel mala in individuo. Confirmatur, quia inter bonum, & malum nullum datur objectum indifferens reſpectu voluntatis, quod poſſit indifferenter appetere; nam objectum voluntatis eſt bonum, quod adæquatè dividitur in honeſtum, delectabile, & utile; ſed primum nequit eſſe indifferens, cùm ex ſe rationi maximè conſentaneum; neque ſecundum, quoniam bonum delectabile eſt homini commune cum brutis, & includit negationem ordinis debiti à natura præſcripti; Nec tandem eſſe poteſt indifferens bonum utile, quia cùm hoc non appetatur, niſi vel ut conducens ad bonum honeſtum, vel ad bonum delectabile; aut erit bonum ex fine honoſto, aut malum ex fine delectabili.

334 Reſpondeo hoc argumentum, cui unicè fidit Amicus faſſus alias rationes non convincere, ſi validum eſt, non tantùm deſtruit indifferentiam actuum in individuo, ſed etiam in ſpecie, quoniam nullum datur objectum indifferens reſpectu voluntatis, quod indifferenter appetere poſſit, ut ipſe in ſuo diſcurſu aſſumit; gratis itaque hoc aſſumitur, & quod delectabile, ut ſic, nequeat amari indifferenter, ut dictum eſt *nu.* 322. cùm enim delectabile ſit quoddam bonum in genere naturæ, propter ſe expetibile, & ametur ex naturali inclinatione, ut quædam naturæ commoditas; operari propter ſolam delectationem ſecluſa omni alia malitia, & prohibitione, non erit malum, ſed ad minus indifferens; Undè aliquæ ſunt operationes à natura ordinatæ tantùm ad oblectandum, ut muſica ad recreandum auditum, olfactio odoris ad oblectandas nares, viſio pulcri oculos; quarè iſtæ, & aliæ conſimiles actiones ob ſolam delectationem licitè poterunt exerceri; Et quidem gratis rurſus omninò negat Amicus dari ullam operationem, quæ ad ſolam delectationem ordinetur; tanquam ad ultimum finem; ſed ultrà delectationem ſemper ordinari ad aliquem finem commodum, & utilem naturæ, ut in exemplis adductis viſio pulchri, auditio concentus ordinatur ad excitandos, exhilarandoſque ſpiritus. Hoc, inquam, gratis negatur, quia in prædictis operationibus finis à natura inſtitutus eſt illorum ſenſuum oblectatio, licet ex intentione operantis hic quoque finis ad alios poſſit ordinari; tùm quia cùm circà talia objecta verſentur eo modo, quo ſunt amabilia, nempè propter ſe, quia delectabile, ut tale, eſt bonum propter ſe expetabile, & non in ordine ad aliud; falſum eſt operatationes ob ſolam delectationem elicitas neceſſariò aſſumi debere, ut media ad alium finem commodum, & utilem naturæ, tùm tandem quia comodum, & delectabile non ſunt diſtincta bona, nam ipſa delectatio eſt quædam naturæ commoditas, & è contrà; undè ipſamet excitatio, & exhilaratio ſpirituum, ad quam ordinari dicuntur viſio pulchri, & auditio conceptus, non eſt niſi bonum quoddam delectabile ipſius naturæ, cùm igitur hujuſmodi actiones non ſint neceſſariæ ad naturam conſervandam, nec ſemper notabiliter utiles ad hunc eundem finem; cùm ex alia parte nullam ex objecto ſuo habeant malitiam, poterunt ob ſolam delectationem indifferenter exerceri. Et denique quod bonum delectabile ſit homini commune cum belvis, non infert, quod ab homine, ut homo eſt, non ſit licitè appetibile; Quia adhuc in modo appetendi illud propter ſe, valdè differt à beluis, non ſolum, quia illud appetit liberè, & cùm diſcurſu; ſed etiam cum modo à regula rationis præſcripto, quod nempè non appetatur cum exceſſu, ſed moderatè, & ſine notabili temporis diſpendio; quæ tamen regula adhuc non ſufficit ad ea opera honeſtanda, ſed tantùm efficit, ne opera illa dicantur mala, & dictamini prudentiæ contraria, ſed ſiſtant in quadam indifferentia, ut declaratum eſt *n.* 228. ex quo patet etiam ad Conf.

Argumenta Haqueti.

335 Quartò arguit Hacquetus, quia aliàs concedendum eſſet, dari aliquos actus ſingulares liberos, & morales in homine, quorum Deus non haberet majorem curam, vel providentiā, quam habeat de actibus brutorum: conſequens eſt falſum, ergò &c. ſequela patet, quia de actibus brutorum ſolùm habet providentiam pertinentem ad ordinem naturæ ſine hoc, quod ordinet illos ad præmium, quia non ſunt boni, neque ad ſupplicium, quia non ſunt mali: minor probatur, quia in actibus liberis excedit homo animalia bruta, ergo illi ſubjacent ſpecialiter divinæ providentiæ, nam ideò 1. Corint. 6. dicitur, numquid de bobus cura eſt Deo? & quo ſignificatur Deum habere ſpecialiorem providentiam, & curam de homine, ut liberè operante, quàm habeat de brutis, quatenus actus hominis liberè operantis imputantur illi ad culpam, vel meritum, & pro eis redditur illi pęna, vel præmium; & tamen quoad actus indifferentes, ſi nec ſunt boni, nec mali, neque imputantur ad pęnam, vel præmium nulla ſpecialior Dei providentia erit, quam ſit reſpectu brutorum; Conf. ex ratione, quam redituri ſumus in die judicii de omnibus noſtris actibus liberis, ut ſecundum illos puniamur vel præmiemur; ait enim Apoſtolus, omnes nos ſtatuendos in die juditii ante tribunal Chriſti, ut quiſque reddat rationem cunctorum, quæ geſſit in corpore ſuo, ſivè bonum, ſivè malum; ergò omnes actus noſtri liberi puniendi ſunt vel præmiandi, atque ideò nullus datur indifferens.

336 Reſp. teneri quoque ad ſolutionem argumenti Thomiſtas omnes admittétes dari poſſe ſaltem per accidens aliquos actus indifferentes in individuo, qui nimirum eliciuntur, vel ex ignorantia invincibili, vel ex opinione probabili, quod tales actus indifferentes dari poſſint, de quorum numero eſt Hacquetus; totum enim argumentum æquè militat de iſtis actibus per accidens indifferentibus, ut diſcurrenti patebit; Dico igitur, quod ſicut dictamen prudentiæ in homine aliquam habet curam de actibus quoque indifferentibus, quatenus præſcribit modum, & regulam eos exercendi, ut nimirum non fiant cum exceſſu, vel temporis diſpendio, aut alia mala circumſtantia; alioquin non in ſua ſiſterent indifferentia, ſed mala evaderent; non tamen de eis curat in ordine ad laudem, vel præmium, quia ſunt pauci momenti nec bonitatem ſecùm deferunt per ſe affectum humano dignam; ſic pariter dici poteſt Deum de illis ſpecialem habere providentiam in eodem ſenſu; non tamen in ordine ad pęnam, vel præmium, ut habet de actibus bonis, vel malis; quis enim dicat aliquem puniendum, vel præmiandum eo quod deliberatè aliquando feſtucam de terra levaverit, vel cantiunculam cecinerit, vel muſcam è manu depulerit? planè ſi ità eſſet, utiliter prædicari deberet, ut omnes aſſueſcerent fricationibus barbarum, cantilenis, reumatum projectionibus, quia omnia iſta eſſent meritoria præſertim in homine juſto, & facilima, niſi inficiantur aliqua mala circumſtantiam, quam facilè eſt evitare, quia media utilia ad ſalutem, modò ſint facilia; ſunt maximè inculcanda. Ad Conf. negatur conſequentia, non enim abſolutè inquit Apoſtolus nos in die juditii rationem redituros cunctorum, quæ geſſimus in hac vita, ſed bonorum; & malorum; cum quo adhuc ſtare poteſt, quod præter illa dentur etiam opera indifferentia, quæ in juditium non adeucentur; adhuc tamen juxtà doctrinam allatam dici poteſt opera quoque indifferentia in judicio examinanda eſſe, ut videatur, an fuerint facta juxtà regulam rationis illa permittentis nimirum ſine aliquo exceſſu, & temporis diſpendio, vel alia mala circumſtantia, aut in aliquem bonum finem fuerint ordinata; tunc enim ipſa quoque judicarentur in ordine ad præmium, vel pœnam ob bonitatem, vel malitiam accidentalem ex circumſtantiis adjunctam, & ſic eſſent de numero bonorum, vel malorum.

Argumenta Cajetani.

337 Quintò arguit Cajetanus hinc ſequi ex actibus indifferentibus gigni habitus indifferentes, quod eſt contrà experientiam, & Ariſt. *cap.* de qualitate, & alibi, docentem, quod habitus exiſtentes in voluntate, vel ſunt virtutes, vel vitia, vel benè, vel malè afficere ſubjectum. Reſp. teneri quoque ad ſolutionem argumenti Thomiſtas admittentes actus indifferentes in ſpecie, ita ut etiam in individuo remaneant indifferentes, quantùm eſt ex principiis ſuis intrinſecis, & per ordinem ad objectum, & extrinſecè ſolum per appoſitionem boni finis, vel defectum ejuſdem per alium actum reflexum reddantur boni, vel mali, ut declaratum eſt *n.* 214. ratio eſt, quia ut notant Suarez, & Arriaga *l. cit.* Actus non gignit habitum ſecundum extrinſecam denominationem, quam recipit ab illo actu reflexo, ſed ſecundum ſuam ſubſtantiam, & entitatem; actus autem indifferens ſecundum ſpeciem, quamvis in individuo poſitus denominetur bonus, vel malus; tamen illa denominatio eſt extrinſeca in ipſo, & ideò, ut ſic, non generat habitum, ſed ſecundum præciſam habitudinem ad objectum, ſecundum quam eſt indifferens atq; ita generabit habitum indifferētem; ſicut actus eleemoſinæ, quamvis ab amore Dei imperetur, & ut ſic actus charitatis denominetur, ille tamen, ut ſic; non generat habitum charitatis, ſe miſericordiæ tantum; Concedo igitur cum Scoto 2. *diſt.* 41. & 4. *diſt.* 6. *quaſt.* 10. infrà O. tales habitus gigni, & nos experiri multos talibus actibus aſſuetos vis poſſe ab eis abſtinere; quod eſt, ſignum acquiſiti habitus: Ariſt. verò locutus eſt, ut in pluribus, cùm enim habitus generari debeat ex frequentatis actibus, & hujuſmodi indifferentes non ita frequenter habeatur, ideo dicit habitum

eſſe virtutem, vel vitium; nec invitus hos actus indifferentes curavit, quia minus communes ſunt, & parvi momenti in ordine ad conſiderationem philoſophicam, & moralem, quæ ſolum ea opera, quibus laudem, vel vituperium promeremur, attendere videtur.

338 Cæterum nonnulli hos negant habitus, quia in moralibus non conſtituitur habitus, niſi reſpectu obiecti, quod habet ſpecialem difficultatem; ſed hanc non habent opera indifferentia, quia hæc ſunt, quibus ſuccurritur alicui indigentię naturæ, ad hoc verò nullam habemus difficultatem, imò naturaliter inclinamur, ergò in his non videtur concedendus habitus. Tum quia habitus circà aliquam materiam non generatur; niſi ex frequentatis actibus circa eam, ſed ſi aliquis frequentaret nimis opus indifferens, iam opus illud propter talem circumſtantiam evaderet malum; ergo habitus generatus ex frequentatis actibus indifferentibus non erit indifferens, ſed malus, ſicut nec actus illi cum tali circumſtantia ſunt amplius indifferentes. Tùm etiam quia talis habitus eſſet incorruptibilis, quia nullum haberet contrarium nec enim actus bonus, vel malus contrariatur indifferenti, nec conſequenter habitus. Tùm denique quia admiſſis etiam his habitibus, difficile, eſt earum aſſignare ſubiectum, cui inhæreant.

339 Reſpondeo, non tantùm reſpectu eorum actuum, ad quos habemus peculiarem difficultatem, ſed etiam reſpectu, eorum ad quos non ſumus omninò habilitati, concedi poteſt habitus; atq; ideò cùm interdum aliqua in nobis maior ſentiatur promptitudo ad hęc opera ex nimio uſu, concedere etiam circa ea habitum aliquem, non eſt incommodum, hoc enim ſignum eſt manifeſtum habitus geniti. Ad 2. cum actus indifferentes ſint de eorum numero, ad quæ aliqualem habemus naturalem propenſionem; ad generationem habitus indifferentis non tanta eorum exigitur frequentatio, quæ nos reddat vitioſos, ſed longè minor ſufficit; Addo in omni materia poſſe actus indifferentes frequentari cum temporis intervallo abſque vitio, undè qui ſemel, aut iterum in qualibet die muſcam caperet, aut ſolius vocis experiendæ gratia caneret, levitatis vitium non incurreret, & habitum indifferentem acquireret canendi, vel muſcas capiendi; Quòd ſi per horam integram muſcarum aucupationi attenderet, vel per totum diem caneret, levitatis vitium utique incurreret; undè frequentatio continuata ſolum videtur actus indifferentes inficere, non autem interrupta. Tandem in aliqua materia etiam frequentatio actuum continuata non inficit actum; ità ambulanti per Scholam ſtudendo per totum diem repetitis vicibus, illa deambulatio eſt adhuc indifferens; & per eam repetitam gignitur habitus indifferens, & facilitans ad deambulandum ſtudendo. Ad tertium, dico habitum etiam ſola ceſſatione corrumpi, talis enim eſt naturæ, ut non diu perſeveret, niſi actibus foveatur, ſicut dicimus de impulſu, quod Scotus docere videtur 4. *diſt.* 14. *quaſt.* 1. *E.* Ad quartum, erant habitus illi in voluntate, & appetitu per ejus imperium moto ad ſimiles actus in quo etiam ponuntur virtutes circa obiecta honeſta à Scoto 3. *diſt.* 33. *§. ad quæſtionem*; adde proportionatos habitus in internis poni in membris externis, ut in manu pictoris, Scriptoris, Citaredi, ut Scotus tenet ibidem ad 3.

Argumenta Moriſani.

340 Sextò obiicit Moriſanus, voluntas in omni actu deliberato, vel attendit quid ratio dictet illudque ſequitur, & ſic benè agit, vel non ſequitur, aut negligit attendere illud dictamen, & ſic male agit; ergò numquam operatur actum indifferentem. Confirmatur, quia nullus eſt actus tam indifferens, cui ratio non præſcribat menſuram, regulam, modumque exercendi illum, cui ſi conformetur voluntas actus neceſſariò eſt bonus ſi non, eſt malus. Denique artifex quotieſcunque operatur, ut artifex, tenetur operari ſecundum regulas artis, & eo ipſo, quod non operatur juxtà ipſas, elicit actum defectuoſum; ergò ſimiliter homo, qui eſt quidam artifex moralis, quoties operatur humano modo, tenetur, operari juxtà regulas rationis, regulæ autem rationis ſunt ſolùm de bono honeſto, quia ſunt communia illa principia, bonum eſt faciendum, malum fugiendum &c. Nec juvat dicere hos actus dici non poſſe honeſtos, etiamſi exerceantur juxtà modum à ratione præſcriptum, quia ad eorum exercitium non movemur ex affectu honeſti, ſed tantum commodi, & delectabilis naturalis, quod ſecum deferunt. Non juvat, inquam, quia ſufficit, ut in actu ſaltem virtualiter ipſam honeſtatem quęramus, hoc autem contingit quotieſcumque in ipſa voluptate appetenda conditiones honeſtatis requirimus, quibus ſublatis voluptatem reiicimus, ut cùm quis eligit deambulationem, ludum, cantum, & alios actus indifferentes ſolùm quando, ubi, & mediis, quibus oportet, & paratus eſt illis circumſtantiis deficientibus illum actum relinquere, quam doctrinam nos quoque in terminis tradidimus ſuperius *num.* 196. loquentes de honeſtate obiectiva, & *num.* 202. hanc ipſam difficultatem tetigimus ex ea doctrina orientem, & in hunc locum remiſimus pro exactiori reſolutione, ſiquidem ex ea deſtrui videbatur omnis indifferentia actuum humanorum.

341 Reſpondeo etiam arguentem ipſum ad horum argumentorum ſolutionem teneri, utpotè quæ non minus oppugnant indifferentiam actuum in ſpecie, quos ipſe quoque admittit, quàm in individuo, undè ſolui debent, ſicut ipſemet ſoluit ſecundum argumentum contrà indifferentiam actuum in ſpecie, quod erat tale; vel obiectum eſt conforme rationi, vel non eſt conforme, ſi primum, erit actus bonus, ſi ſecundum, erit malus, atque ità nullus indifferens ex obiecto; cui reſpondet obiectum actus indifferentis ſecundum ſpeciem non eſſe conforme, non quidem poſitivè, ſed negativè, non enim habet poſitivam diſſormitatem, ſed tantùm non conformitatem; quæ tota ſolutio ex integro quadrat argumentis ab eodem auctore allatis contrà indifferentiam actuum in individuo. Ad primum, itaque reſpondet Rubion in terminis, quod ratio, ſeù dictamen practicum tunc eſt determinatè rectum, vel non rectum, quando reſpicit obiectum eligendum, vel reſpuendum, & omnis actus voluntatis tali dictamini recto concors eſt bonus, & non concors eſt malus; quando autem dictamen ejus eſt, quod non eſt determinatè eligendum, vel reſpuendum, ſed utrumque eſt licitum, quia ad bonum indifferens, & ad malum; ut dictamen, quo intellectus præcipit elevandam eſſe feſtucam de terra, non tanquam aliquid determinatè bonum, nec malum, ſed ut indifferens ad utrumque, tunc talis actus hujuſmodi dictamen ſequens non erit determinatè bonus, nec malus, ſed indifferens; ſicut & dictamen ipſum antecedens nec eſt rectum, nec non rectum rectitudine obiecti dictati; nec finis intenti; & ratio eſt, quia obiecta primi generis ratio reſpicit, ut præcipiens, vel prohibens, conſulens, vel diſſuadens; obiecta verò ſecundi generis reſpicit, ut merè permittens, ut dictum eſt *num.* 309.

342 Ad Confirmationem, jam dictam eſt *nu.* 328. regulam à ratione præſcriptam in exercitio actuum indifferentium, ut nempè ſi fiant, non fiant cùm aliquo exceſſu, vel temporis diſpendio, aut alia mala circumſtantia, non ſufficere, ut quando ſic fiunt, dicantur honeſti; quia ad huc cùm tali moderamine eliciti non ſunt per ſe digni affectu humano ob exilem, & tenuem utilitatem, quam ſecum deferunt; ſed tantùm efficit, ut talia opera ſiſtant in ſua indifferentia, nec dicantur mala, & dictamini rationis poſitivè contraria; undè tales actus etiam in individuo ſic circumſtantionati nempè ſine exceſſu, ſine temporis diſpendio, aliaque mala circumſtantia, nec præcipiuntur, nec conſuluntur à dictamine prudentiæ, ſed merè permittuntur; & cum dicebatur, eo ipſo quod eos actus cum tali moderatione elicimus, nos ſaltem virtualiter ipſam honeſtatem quærere, etiamſi ad eos exercendos moveamur ex delectatione, vel commoditate naturali, quam ſecum deferunt, quod ſufficit ad honeſtatem contrahendam ex dictis *num.* 196.

Reſpondeo, bonum commodum, vel delectabile in eſſe naturæ poſſe eſſe in genere moris honeſtum, turpe, & indifferens; ſi appetatur cum nimio exceſſu, vel temporis diſpendio, erit turpe; ſi appetatur, ut neceſſarium, vel notabiliter utile ad valetudinem conſervandam, erit honeſtum, quo ſenſu aliqua recreatio vocatur honeſta, & luſus honeſtus, non ſolum quia exercetur cùm menſura à ratione præſcripta, ſed etiam quia confert notabiliter ad naturæ levamen, & ſpiritus exhilarandos; & in hoc ſenſu locuti ſumus *num.* 196. Si tandem appetatur cùm menſura quidem à ratione præſcripta, ſed ob levem, & modicam naturæ commoditatem, quæ ad ejus levamen neceſſaria non eſt, nec utilis valdè, tunc talis actus dicitur indifferens, quia adhuc ſub ea menſura conſideratus nec à ratione præcipitur, nec conſulitur, ſed præciſè permittitur; quia per talem actum indigentiæ naturæ notabiliter non ſuccurritur; atque ideò de tali actu nec ratio, nec natura curat; ſed tantùm curat, quod ſi fiat, non fiat cum exceſſu, vel temporis diſpendio, idque curat, non quidem, ut fiat honeſtè, ſed ne fiat otioſè, ut conſtat ex exemplo D. Bernardi adducto *nu.* 327. quæ doctrina valdè notanda eſt, utpotè ex qua pendet recta intelligentia, in quo ſenſu ſint admittendi actus indifferentes in individuo; & ex qua conſtat, quomodo doctrina jam tradita de honeſtate obiectiva *num.* 196. non præjudicat indifferentiæ actuum in individuo. Ad ultimum, probat ſolùm hominem teneri, ut nihil unquam velit, vel operetur rationi contrarium, quod etiam aſſequitur exercendo actum indifferentem, eo enim ipſo ſeſe conformat illi principio, quod malum eſt fugiendum; ſicut etiam artifex non ſemper tenetur ſequi adamuſſim regulas artis, ſed ſufficit ſi non recedat ab eis, & poſitivè eis contradicat.

343 Septimò adducunt D. Aug. *lib.* 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. *cap.* 18. ſic loquentem; mirum, ſi voluntas poſſit in medio quodam conſiſtere, ut nec mala, nec bona ſit; aut enim juſtum diligimus, & bona eſt; aut juſtum non diligimus, & bona non eſt; qui autem dubitet dicere voluptatem non diligentem juſtitiam non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam volūtatem; hæc Auguſt. ob quam auctoritatem Vaſquez arbitratur

Aug.

Aug.pro oppoſita ſtetiſſe ſententia, cui pro noſtra opponit Hie- ronymum cit.Sed re vera hęc auctoritas non facit ad rem,quia ut obſeruarunt Arriag,Ovvied.& alii antè ipſos, ibi non uſur- pat Auguſt.voluntatem pro volitione, ſed pro ipſa voluntatis potentia; quod vel ex eo conſtat, quia dicit eandem volunta- tem, ſi magis diligat juſtitiam, magis bonam; ſin minus, mi- nus eſſe bonam, idem autem actus non eſt indifferens, ut ma- gis, & minus diligat, ſed ſola voluntatis potentia; non ergò negat dari medium inter volitionem bonam, & malam, ſed inter voluntatem bonam, & malam; & loquitur de voluntate quaſi in ſtatu habituali in ordine ad ea quæ habitualiter diligit; nam ſi de voluntate aliqua levandi feſtucam ageret, quorſum diceret Auguſt.eam non ſolùm non eſſe bonam, ſed malam, & peſſimam?peſſima igitur voluntas apud Auguſt. eſt ipſa volun- tatis potentia, quæ ita averſa eſt ab omni bono, ut nihil boni, aut juſti diligat, hæc enim vere poſſima eſt. Magis ad rem vi- detur alia Auguſt. auctoritas in Epiſt. 19. ubi non longè ante medium ait, *ſed cavendum eſt, ne ſicut Philoſophi, quædam fa- cta hominum media dicamus inter rectè factum, & peccatum*, media autem hæc opera procul dubio ſunt indifferentia. Sed neque hic locus urget, ſed potius eſt pro nobis: nam ibi loquitur de voluntate comparata ad opus præceptum, in quo ſenſu uti- que aut eſt bona, aut mala; undè infrà admittit cæremonias antique legis aliquo tempore nec bonas, nec malas fuiſſe, putà antequam præciperentur, vel poſt ceſſationem legalium; & paulò poſt dicendo, non omnia, quæ à Philoſophis dicta ſunt, falſa eſſe, potius admittit facta aliqua media, quæ nec bona, nec mala ſint; quare cùm relata verba proferat per modum obiectionis, & deindè reſpondeat, non omnia, quæ à Philo- ſophis dicta ſunt eſſe falſa, potius ſententiæ noſtræ favet quàm adverſetur, ut notavit Arriaga.

Argumenta Pallavicini.

344 Poſtremò arguit Pallavicinus, dari per ſe, & præciſa igno- rantia inuincibili obligationem operandi ſemper honeſtè, ita- ut hoc ipſo, quod homo non ordinat ſuam actionem ad debi- tum finem, ad quem eſt inſtituta, aliquatenus delinquat; quia aliquid deliberatè ſine ordinatione ad ultimum finem, pro- pter quem homo creatus eſt, eſt aliquis contemptus ipſius ulti- mi finis, qui meretur, ut omnia ad ipſum ordinentur: ergò eſt aliqua actio reprehenſibilis, & mala. Deindè probat, ne ex probabilitate quidem noſtræ ſententiæ, aut ex quamcunque ignorantia invincibili, poſſe dari actionem deliberatam in dif- ferentem, nam qui putat poſſe licitè ſe non ordinare ſuam actionem hic, & nunc in ultimum finem, jam in hoc ipſo, quod eſt *eſſe licitum* concipit rationem ultimi finis, illud enim intelli- gitur *eſſe licitum*, quod homini deliberatè operanti non nocet in ordine ad ultimum finem; vel ergò is ideò omittit ordinare ſuam actionem ad ultimum finem, quia id eſt licitum, vel non movetur ex iſto motivo; ſi primum, jam operatur non eſt, quia reveretur ultimum finem, & metitur ſuas actio- nes ex illo, neque vult aliquid facere, quod ſit contrà illum; ſi ſecundum, jam deſpicit ipſum ultimum finem, ità enim agit quantum eſt ex ſe, ut omitteret eam ordinationem, eti- amſi non liceret.

Reſponderi, Moriſanum, & alios ex Adverſariis quamplu- res ingenuè fateri hoc fundamentum labile eſſe, falſoque ſup- poni omnem actum deliberatum debere referri in Deum, ut in ultimum finem, idque ex obligatione naturæ; imò com- munis eſt opinio, nec etiam ad ipſam moralem bonitatem actus requiri, ut actualiter referatur ad ultimum finem, quod præſertim docent Scotus, & D.Bonav. 2.*diſt*.41. nam actus hu- manus moralem bonitatem deſumit tantùm à proximo obie- cto, ad quod tendit, & à circumſtantiis, finis autem ultimus non eſt obiectum, aut circumſtantia proxima, ſed tantùm re- mota actus humani; quarè concludunt ad bonitatem moralem actus ſufficere relationem tantùm virtualem in ultimum finem, quæ in eo conſiſtit, ut nulla apponatur conditio ultimo fine re- pugnans, quæ virtualis relatio in finem ultimum, licet non ita per ſe, & proximè actui indifferenti conveniat, ut actui honeſto, qui ob ſuam honeſtatem eſt illi per ſe ſubordinatus, & proximè referibilis in ipſum; remotè tamen poteſt actui quoque indifferenti convenire; quatenus ex ſe nullam includit conditionem ultimo fini repugnantem, ut actus malus, qui eſt omninò in Deum irreferibilis; Inquit ergò D.Bonav. Deum non requirere ab homine in hoc ſtatu diſtractionis, & miſeriæ, quod omnia, quæ facit ad ſe referat, & Scotus addit, quod non tenetur homo nec tentione neceſſitatis, contra quam ſit peccatum mortale; nec tentione minori, contra quam ſit pec- catum veniale, referre ſemper actum ſuum in Deum actuali- ter, vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc; ſed tantùm tenetur abſtinere ab actibus in Deum irreferibilibus, quales ſunt tantum actus mali: non autem indifferentes, qui ſi non ex natura ſua ſunt in Deum referibiles, ut actus boni, ſunt tamen referibiles remotè ex intentione operantis, quia in ſe nullam includunt conditionem ultimo fini repugnantem; Quarè falſum eſt, quod in argumento aſſumitur, ultimum finem ab homine contemni eo ipſo, quod agit deliberatè ſi- ne ordinatione ſui actus ad illum; ſed tunc tantùm incurrit talem contemptum, quando actui ſuo apponit conditionem ul- timo fini repugnantem. Ad aliud dico, putantem ſe poſſe li- citè non ordinare ſuam actionem hic, & nunc in ultimum fi- nem, jam in hoc ipſo concipere rationem ultimi finis impli- citè, virtualiter, & remotè, non verò actualiter, & expli- citè; concedo etiam illum talem ordinationem omittere, quia id putat ſibi licitum eſſe, hoc eſt, permiſſum; nego ta- men jam eo ipſo operari honeſtè, quia ut dixi *num*. 326. lici- tum in plus ſe habet, quam honeſtum ob rationem ibi addu- ctam, cui applicari poteſt, quod dicebat Apoſtolus, multa li- cent, quæ non expediunt; cum verò hæc ſequela probatur, quia ſi movetur ex hoc motivo, jam reveretur ultimum finem, & metitur ſuas actiones ex illo; hoc ſolum verificatur de re- verentia quadam negativa, quatenus non vult aliud facere, quod ſit contrà illum, ut arguens ipſe declarat; ex hac tamen negativa reverentia operationem honeſtam inferre non licet, per quam Deo exhibetur non tantùm negativa, ſed etiam po- ſitiva reverentia. 345

DISPVTATIO SEXTA DE PECCATIS.

QVÆSTIO PRIMA.

In quo conſiſtat ratio formalis peccati actualis, an in poſitivo vel privativo.

1 HAnc controverſiam latè tractavi *diſp*. 5. *Me- taph. quæſt*. 13. ubi univerſaliter docui ma- lum formaliter in privatione boni conſiſte- re, tam de malitia naturali loquendo, quàm de morali, quæ propriè conſtituit pecca- tum, de quo præſens inſtituitur diſputatio: eam tamen rurſus hic propono, tùm quia hæc eſt controverſia capitalis hujus diſputationis, quæ proin- dè ſine tali quæſtione eſſet perindè, ac ſine capite, tùm quia nuperi Scriptores occaſionem præbent aliqua de novo adden- di, & amplius confirmandi, quæ jam ibi ſtatuimus. Decem opiniones in hac quęſtione refert Ovvied.*tract.4.contr.4.punct*. 2. quæ tamen omnes ad duas *loc. cit*. relatas, ac in ipſo quæ- ſtionis titulo inſinuatas facilè reducuntur, quod nimirum ra- tio formalis peccati, ſeù malitiæ moralis vel in poſitivo, vel in privativo conſiſtat, vel ad ſummum in utroque ſimul, ut quidam dixerunt quos ſequitur Averſa *quæſt*. 18. *ſect*. 29. & 30. rationibus utriuſque partis conuicti; quod quidem poſitivum alii dixere eſſe aliquid phyſicum, & reale, quod etiam vario modo explicant, ut Caietan.& Medina, & quamplures alii Thomiſtæ; alii vero dixerunt eſſe aliquid morale, nempè diſ- ſonantiam, vel diſconvenientiam actus peccaminoſi ad natu- ram rationalem rationabiliter operantem, quam explicant per relationem rationis, aut extrinſecam denominationem, ut Vaſquez, Arriag. Amic. Ovvied. Averſa, nec Caſpenſis, & alii Recentiores; Ex quibus conſtat quæſtionem hanc agi- tari præſertim de peccato commiſſionis, non verò omiſſionis; hoc enim peccatum, ut vel ex ipſo nomine conſtat, concedunt omnes formaliter conſiſtere in carentia ipſius actus honeſti, cùm quis poteſt, & tenetur illum elicere, ut ſunt omnia pec- cata contra præcepta poſitiva.

Communis ſententia, quam latè tradidimus *loc. cit*. ponit ra- tionem formalē peccati in privatione alicuius perfectionis de- bitæ, quæ licet variè etiam à quibuſdam explicari ſoleat, com- muniter tamē conveniunt cum Scot. 2. *diſt*. 37. §. *iſtæ quæſtiones, & diſt*. 40. *& quol*. 18. quod ſit privatio debitę honeſtatis moralis 2

in actu. Hanc tenent cum Scoto Scotiſtæ omnes tam veteres, quam recentiores uno excepto Poncio in ſuo Curſu theologico; quem ad mentem Scoti prætitulavit *diſp*. 22. *qu*. 2. ubi more ſuo mentem Doctoris extorquens ait *loc. cit*. poſſe in ſenſu arguiti- vo intelligi, quatenus, ſcilicet, ex tali privatione poteſt à po- ſteriori colligi, quod actus ea affectus ſit malus; vel in eo ſen- ſu intelligi, in quo Ariſtot. dicit unum contrarium eſſe priva- tionem alterius, quia habet annexam talem, & perindè exclu- dit alterum per ſe, ac ſi eſſet privatio ipſius; quæ quidem inter- pretatio, quàm benè quadret Scoto *loc. cit*. cæteri Scotiſtæ ju- dicium ferant, etiam qui primoribus labris Scoticam doctri- nam attigerunt; hæc etiam ſententia communis eſt in Schola Nominalium, Alenſis, & D. Bonav. pro qua innumeros ferè auctores refert Salas *tom*. 1. *tract*. 7. *diſp*. 3. *ſect*. 2. *& tom*. 2. *tract*. 13. *diſput*. 2. *ſect*. 3. & ſequuntur Recentiores paſſim Suares *par*. 2. *diſp*. 7. *ſect*. 3. 4. *&* 5. Paſqualig. *diſp*. 25. *ſect*. 5. Lezana *tract*. 5. *diſp*. 2. *qu*. 3. Morandus *tract*. 3. *q*. 2. Meracius de peccatis *diſp*. 1. Baldellus *lib*. 2. *diſp*. 10. ac etiam quamplures ex Thomiſtis Gra- nad. Aravio, Valentia, Molina, Lorca, Monteſinus, & aliis, quos citat, & ſequitur Hacquetus tract. de peccatis *controv*. 16.

Quæ quidem ſententia adeò vera eſt, ut alii Thomiſtæ po- nentes cum Cajet. formalitatem malitiæ in aliquo poſitivo, non adhuc excludant privationem, imò fateantur illam neceſſa- riò poſitivum illud concomitari, quia ſine tali privatione con- comitanti illud poſitivum non diceretur ſimpliciter, & abſo- lutè malum; ita Medina, Bannez, Zumel, Curiel, Cabrera, Cornezo, Salmanticenſes, & alii, quod etiam faſſus eſt Caje- tan. qui primus cenſetur inventer hujus ſententiæ, nam *p*. 2. *q*. 18. *art*. 5. *& quæſt*. 21. *art*. 5. *& q*. 79. *art*. 2. duplex malum in pec- cato diſtinguit; unum vocat malum ſimpliciter, quod dicit conſiſtere in privatione honeſtatis debitæ ineſſe actui, ad quod ait ſpectare averſionem à Deo: alterum verò appellat malum ſecundum quid, eo quod ſit ipſemet actus poſitivus circà obje- ctum malum, qui ſecundum ſe bonus eſt malus tamen naturæ rationabiliter operanti, ad quod dicit ſpectare converſionem ad creaturam; & hoc prius vocat in ratione mali, & funda- mentum mali ſimpliciter: quam Cajet. ſententiam libenter am- plectitur Poncius noſter *loc. cit*. concl. ult. ubi aſſerit actum ma- lum habere eſſe tale formaliter ab eo, à quo habet liberè tende- re in objectum, quod proponitur, ut prohibitum, aut inde- cens, ſive omittendo, quod deberet facere, ſive faciendo, quod non deberet facere, & hoc habere ex natura ſua intrinſeca po- ſitiva ſuppoſita libertate, & propoſitione objecti ſub illa ratio- ne. Undè omnes iſti etiamſi admittant in peccato aliam mali- tiam privativam, nihilominus illam poſitivam volunt eſſe prio- rem, & potiorem, & malitiam privativam eſſe veluti effectum illius, ac veluti paſſionem neceſſariò concomitantem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Malitia moralis formaliter in privativo conſiſtit non in poſitivo.

3 HÆc aſſertio ſtabilita fuit *loc. cit. in Metaph.* pluribus Patrum auctoritatibus; ac etiam rationibus, quas hic rurſus re- petere non erit inutile ad præcludendas nonnullas alias Recen- tiorum evaſiones, & Solutiones; Patres itaque ut ibi diximus, explicare volentes eſſentiam, & formalitatem peccati, & mali moralis ſemper per privationem boni illud expreſſere, appel- lantes ipſum abſentiam boni, privationem boni, privationem, corruptionemque virtutis, ordinis defectum; undè illud com- parant morbo corporis, qui ſanitatis defectus eſt; tenebris, quæ ſunt lucis privatio, & morti, quæ eſt vitæ corruptio, ut videre eſt præſertim apud Auguſt. ibi citatum 11. de Civit. *cap*. 9. & in Encherid. *c*. 11. & ſacra ipſa Scriptura peccatum appellat vanitatem, receſſum, mendacium, averſionem, & vocibus ſimilibus, quæ denotant quid negativum, & privativum. Nec valet communis Adverſariorum reſponſio Patres ſic loqui contra Manichæos, qui putabant peccatum eſſe aliquam ſub- ſtantiam, vel naturam, & non accidens naturæ, ſeu ſubſtan- tiæ; Quoniam quando hæc expoſitio admitteretur de Patribus qui contra Manichæos diſputarunt, inter quos præcipuus fuit Auguſtinus, nequaquam tamen admitti poteſt de Patribus, qui Manichæos præceſſerunt, & tamen Dionyſius qui multò anteà præceſſit, de divinis nominibus *c*. 4. peccatum appellat *declina- tionem, privationem boni, & defectum*. Sed nec etiam admitti po- teſt de aliis, quia non tantum dixerunt, malum non eſſe ali- quam ſubſtantiam, vel naturam contrà Manichæos; ſed præte- reà dicunt malitiam, ſivè naturalem, ſive moralem eſſe priva- tionem boni, ſicut mors eſt privatio vitæ, & tenebræ ſunt ab- ſentia lucis, ut videre eſt apud Aug. *loc. cit*.

4 Nec minus vanum eſt aliud effugium, quando Patres dixe- runt peccatum eſſe privationem boni, vel nihil, non tradidiſ- ſe rationem formalem peccati, de qua non diſputabant ita ſub- tiliter, ſicut Scholaſtici; ſed tantum illam explicuiſſe per pri- vationem gratiæ, aut negationem rectitudinis illi coniunctam à poſteriori, utporè nobis notiorem; etenim talis privatio ſe- quens ad actum peccaminoſum eſt paſſio malitiæ, unde ejus ra- tio formalis benè explicari poteſt per talem privationem, tan- quam per effectum ſequentem ad illud poſitivum, in quo for- maliter malitia conſiſtit. Hoc, inquam, vanum quoque effu- gium eſt, nam Patres quoties de peccato agunt, ſemper aſſe- runt eſſe nihil, & eſſe privationem boni; ergò loquuntur for- maliter, & per ſe, & non cauſaliter tantùm, alioquin valdè impropriè locuti eſſent; quemadmodum malè loqueretur qui ſæpè ſæpiùs loquens de hominis natura diceret hominem eſſe riſibilem, vel eſſe nihil, eo quod ad ejus eſſe neceſſariò loqui- tur negatio leonis, bovis, & aſini. Tum quia Aug. *loc. cit*. in En- chirid. *cap*. 11. rationem formalem peccati, & mali, ut ſic, ex inſtituto veſtigat, & ait *quid eſt autem aliud, quod malum dici- tur, niſi privatio boni*, & 11. de Civit. *c*. 9. inquit *mali enim nulla natura eſt, ſed amiſſio boni mali nomen accepit* ubi, ut patet, non tantùm cauſaliter, & à poſteriori, ſed formaliter, & à priori ex- primit naturam mali per hoc, quod eſt amiſſio boni, & abſolutè inquit quod mali nulla natura eſt; ergò omnem prorſus poſiti- vam entitatem ab ejus eſſentia, & formalitate excludit. Sed inſtat Poncius, quod Patres loquuntur de peccato ſine adiun- ctione ly *formaliter*, aut æquivalentis termini; ſed peccatum, ut ſic, non tantùm dicit privationem, ſed actum poſitivum; er- go Patres non excludunt à peccato rationem actus poſitivi; Si hæc inſtantia valeret, ſequeretur peccatum ex poſitivo, & pri- vatione ſimul in ſua ratione formali conſtitui, quod eſt contrà ipſum dicentem privationem ſequi ad entitatem poſitivam actus peccaminoſi, in qua ſola conſtituit malitiam formaliter; ſed falſum eſt Patres ſæpè non addere particulam æquivalen- tem termino formaliter, cùm enim Auguſt. *loc. cit*. inquirat quid ſit malum, & quæ ſit natura mali, utique hic termi- nus abſtractus æquivalet particulæ *formaliter*: Tùm quia cùm dicat malum nihil aliud eſſe, quam privationem boni, planè interpretari non poteſt, quod loquatur manifeſtativè, & à po- ſteriori: nam tunc propoſitio contradictoria eſſet vera, ſcili- cet, quod præter privationem eſt aliquid aliud, hoc eſt illud poſitivum, à quo cauſatur privatio: Quamvis ergo pecca- tum, & actus malus denominativè acceptus dicat actum, & malitiam, ideſt, poſitivum, & negativum; non tamen dicit utrumque tanquam rationem formalem eſſendi malum; ſed unum dicit pro formali, & aliud pro ſubſtrato, & materia- li, nempè entitatem poſitivam actus, quo ſenſu intelligendus eſt Auguſt. cùm lib. de perfect. juſtitiæ, ratiocin. 4. *lib*. 1. Hy- pogn. in fine, & *lib*. 4. in principio loquens contrà Manichæos inquit, quod *peccatum non eſt res, ſed actus* ideſt, non ſubſtan- tia, ſed operatio hominis.

Nec tandem valet effugium aliorum Thomiſtarum, qui in- hærentes diſtinctioni de duplici malo à Caiet. traditæ, dixe- runt Patres ſolum eſſe locutos de malo ſimpliciter, non autem de malo morali, & ſecundum quid; ſiquidem ſpecialiter lo- quuntur de malo culpæ, & abſolutè nullam aliud malum agnoſcunt, niſi illud, quod eſt defectus, & privatio boni; & non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, & quamvis Caiet. duplex illud mali genus excogitaverit ad ſalvandam Pa- trum doctrinam, quorum alterum ſit malum ſimpliciter, & quid negativum; alterum morale, & ſecundum quid, & ſit quid poſitivum; hoc tamen potius eam eludit, quàm ſalvet, tum quia Patres nullum aliud malum agnoverunt, ut dixi, præter id, quod eſt defectus, & privatio boni; tùm quia di- ſtinctio illa ficta penitus, & comentitia eſt, ut oſtendit Vaſ- quez *diſp*. 95. *cap*. 2. perperam enim diſtinguit malitiam mora- lem à malitia ſimpliciter, eaſque æquivocè ſolùm inquit con- venire in ratione malitiæ; ſiquidem etiam malitia ſimpliciter, quam ipſe admittit in actu peccati, & concedit eſſe quid ne- gativum formaliter, eſt malitia moralis, nam & ipſa quoque convenit actui in genere moris, & prout actus humanus eſt laude, vel vituperio dignus: Tùm quia, ut notat Suarez *diſput*. 11. Metaph. *ſect*. 1. ſine ullo prorſus fundamento malum morale, quod ipſe in poſitivo conſtituit, appellat malum ſe- cundum quid duntaxat, & non ſimpliciter; ſi enim malum ſimpliciter dicatur illud, quod omnium malorum eſt maxi- mum, ac veluti antonomaſticè malum, ut ſonat vocabulum mali ſimpliciter; planè multò conuenientius malum mora- lem tale meretur appellationem, quàm quodlibet aliud ma- lum, cùm cætera mala naturalia in ejus comparatione ſint longè minora. 5

Defenditur ratio deducta ex cauſalitate peccati.

Secundò probatum eſt *loc. cit. in Metaph.* peccatum, & malum morale in aliquo poſitivo formaliter conſiſtere non poſſe, præ- ſertim ſi id ponatur poſitivum quid phyſicum, & reale, ut po- nitur à Caiet. ejuſque aſſeclis, quia tunc Deus eſſet per ſe, & di- 6